chritudiniſimaginationes arbitrans,&c. Quo pacto poſſet iſti probari noſtris iconoclaſtis?

Denique Nicolaus Papa 1. ad Michaëlem Imp. perfidum Epiſt. ita illum affatur: *Si adhuc placet aliquid de hoc noſſe, quod delectet, antiqui Patris & venerabilis doctoris Areopagitæ Dionyſij ad Demophilum verba vobis recitari præcipite; qui etiam in cauſâ pietatis delinquentem ſacerdotem nefas ſancit à minoribus vel inferioribus iudicari: ne fiat in Eccleſiâ Dei aliquid inordinatum, & ſtatus eius in aliquo confundatur*. Hodie iſta Epiſtola inſcribitur Demophilo Therapeutæ (hoc eſt Monacho. vide ſup. cap. 26.) & eſt Epiſtolarũ Dionyſij numero octaua: in quâ pag. 448. continentur, quæ citat Nicolaus: Οὐ θεμιτὸν ἱερέα πρὸς τῶν ὑπὸ σὲ λειτουργῶν, ἢ τῶν ὁμοταγῶν σοι θεραπευτῶν εὐθύνεσθαι: *Nefas eſt ſacerdotem à miniſtris, vel, qui eiuſdem tecum ordinis ſunt Therapeutis, iudicari*. Ridebis ad hanc ordinum mentionem. nam vos omnem ordinem hierarchicum ſuſtuliſtis, vt eſſe vos pateat in veſtibulo loci, *vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat*. Vos Ieſuitas cenſetis vel ſimulatis *Zelotas* eſſe; quia ſummo Pontifici potiùs, quàm ſæculari magiſtratui (hoc eſt Deo in vicario, quàm hominibus laicis) obediendum ſibi cenſent: & ideò olim illos ex Bel-

gio ferè toto eieceratis; & hoc ipſo quo iſta ſcribebam tempore, primi iuxta diploma Pontificium Beatis^{mi} Domini noſtri Papæ Pauli Quinti, relictis temporariis bonis, totâ Venetorum ditione, ne cogerentur communicare excommunicatis, exceſſerunt. Iudicatis eoſdem *Zelotas* eſſe; quia quoduis ſupplicium perferre malunt, quàm vt, quæ ſub Confeſſionis arcanæ ſacramentali ſigillo acceperunt, vlli prodant. Nec enim vlla fuit alia cauſa, cur hac ipſâ anni CIƆ. DC. VI. æſtate Pater Henricus Garnetus Londini crudeliſſimè in trahâ raptatus, in patibulo ſtrangulatus, exenteratus, diſſectus, elixatus fuit; quàm quia, quòd vnus illi coniuratorum fuerat in exomologeſi priuatâ confeſſus, id ipſe ad Magiſtratum deferre noluerat, etſi illum quantum potuit eſſet à facinore dehortatus. Felix ipſe hac taciturnitate, & felix ipſo taciturnitas; quæ & ipſa nunc nouo, ſed illuſtri exemplo, Martyres facit! Nec alienum videatur tibi, Lector, ab inſtituto, ſi in Martyris vindiciis, alterius Martyris laudes intexo. Honoratur Deus in ſuis Martyribus: & vterque ne fidem falleret, diſpari in causâ, vitam hanc terrenam, non diſpari felicitate, cum cæleſti commutauit. Optares Scaliger hanc ſortem tuo Delrio, quem alibi ſanandum mittis

carni-

carnifici. Sed ille ſe martyrio indignum nouit, & dolet.

CAPVT XXVIII.

Teſtimonia Liberati Afri, & Deuſdedit Epiſcopi Caralitani.

PRoduxi teſtes ex Aſiâ & Europâ, producam etiam vnum ex Africâ; produxi ex continente, producum vnum ex inſulâ Sardiniæ. In omnes enim orbis partes, per terram & oceanum, hæc ſententia penetrauit, & præualuit.

Liberatus Afer in Breuiario, de causâ Neſtorianâ & Eutychianâ cap. 10. ita ſcripſit: *Cyrillus quatuor libros ſcripſit, tres aduerſus Theodorum & Diodorum, quaſi Neſtoriani dogmatis auctores; & alium de Incarnatione librum. In quibus continentur antiquorum Patrum incorrupta teſtimonia, Felicis Papæ Romani, Dionyſij Areopagitæ Corinthiorum Epiſcopi, & Gregorij Mirabilis, Θαυματουργοῦ cognominati.* Contra hoc teſtimonium duo poſſent ab aduerſariis obiici. Primò, quòd Catholici quidam negarunt hos libros eſſe D. Cyrilli; ducti eâ ratione, quia Cyrillus viuis hæc teſtimonia non obiecerat. ergo Cyrilli hoc opus non videri. Reſponderi poteſt, tunc demum obieciſſe, quia priùs

illorum non recordatus, poſtea in mentem venerunt: item illis mortuis hoc opus compoſuiſſe, conrra quos viuentes non diſputarat adhuc iunior. diſputauit autem contra diſcipulos eorum Neſtorium ac Theodoritum. Secundò poteſt obiici, locum eſſe mendoſum, & τὸ *Areopagitæ* inducendum. Velim conſuli vetuſta exemplaria. fieri enim poteſt, vt locus mendoſus minimè ſit, ſed Liberatus in eorum errore fuerit, qui Dionyſium Areopagitam cenſuerũt, poſt Athenienſem cathedram ad Corinthiam tranſlatum, priuſquam in Gallias migraret.

Adeodatus, ſiue Deuſdedit venerabilis Epiſcopus Eccleſiæ Caralitanæ inſulæ Sardiniç in Synodo Lateranenſi ſub Martino I. conſultatione 3. ſic locutus: *Verbum conſummatum & breuiatum accipiens à Domino veſtra veneranda beatitudo, compendioſè pariterq́; diligenter, tam falſiloquium, & nouitatem, quam operati ſunt apertiſſimè Cyrus & Sergius aduerſus ſanctos Eccleſiæ Catholicæ Patres atque dogmata, per ea quæ prudentiſſimè in præſenti allocutus eſt, nobis demonſtrauit, oſtendens eos hæreticorum irretitos confeſſione, per hoc quòd*, vnam, *iuxta execrabiles Themiſtium & Seuerũ, Dei-virilem operationem eſſe denuntiant, & non mirificam in hoc atque mirabilem, quoniam in vnione indiuiſâ,*

duas

duas vnius eiuſdémque CHRISTI *Dei naturales operationes inconfusè oſtendit, id eſt, diuinam & humanam, in approbatione veriſſimâ, Deum eumdem eſſe naturaliter & hominem; quod vtique, ſicut B. Dionyſius ait, omnium eſt nouitatum ſupereminens nouum. Nec enim vtriuſq; interemptionem, ſed indiuiſam vnitatem, per hanc compoſitam eius vocem memoratus Pater edocuit. Veram namque vnitionem oſtendere voluit, ſed non deminutionem quamlibet naturarum, quæ in vno* CHRISTO *Deo ſubſtantialiter ſaluantur, aut naturalium eius operationum, quas videlicet per propria ſcripta, quæ in præſenti relecta ſunt, Cyrus & Sergius denegantes, & propterea ſanctorum quoque Patrum adulterantes teſtimonia, meritò à veſtrâ Apoſtolicâ piâ ſententiâ condemnati ſunt, quos & nos conſonanter cum eâ propterea condemnamus: nec non & Pyrrhum Sergij ſucceſſorem, quoniam & ipſe nihilominus cum Sergio Cyrum recepiſſe dignoſcitur, & ſtuduit ei aduocare in prædenominato ſeptimo capitulo, & hoc cùm in ſcripto teſtatur contra eum, quoniam immutauit dictionem B. Dionyſij, & quoniam iuſtè reprehenſus eſt pro huiuſmodi immutatione à Beatæ memoriæ Sophronio, ita enim ſcribit in vnum dogmaticum eius volumen Pyrrhus; Vnum autem tantùm capitulum reprehendit Sophronius* Hæretica Pyrrhi verba.

nius reuerendiſſimus, vtpote teſtimonium Beatæ memoriæ Dionyſÿ falſantem permutatione vnius vocis: in hæc congrua dicens prædictus vir, & cauta, in quibus ille aſſerit: Sed homine facto Deo, nouam quamdam Deiuirilem operationem nobis proferens: *vnam nempe ſecundùm veritatem pro nouâ continebat denominatum volumen: ſed non malitiosè (abſit) iuxta meum verbum, ſed quoniam non aliter poteſt noua intelligi, niſi vna, à ſanctiſſimo Cyro huiuſmodi vox poſita eſt: quoniam per abnegationem ſublimium vnam beatus Doctor confeſſionem cõſtruens, & hanc ſingulariter exprimens, quid aliter niſi vnam cõfiteri operationem, eò quòd vnus eſt* CHRISTVS, *per quoddam verbum luculentius prodidit? Ecce apertiſſimè per ſuos ſermones Pyrrhus, & falſatam à Cyro dictionem B. Dionyſÿ profeſſus eſt, & reprehenſum propterea eum meritò oſtendit*, &c. Agit de illo Dionyſij loco Epiſt. ad Gaium. 4. quo Monothelitæ deprauato à ſe, & malè citato, contra veritatem geminæ in CHRISTO voluntatis abutebantur.

CAPVT

Capvt XXIX.

Teſtimonia ex Hilduino, Hincmaro, Anaſtaſio Bibliothecario, & Hugone de ſancto Victore.

HIlduinus Abbas monaſterij B. Dionyſij prope Lutetiam Pariſiorum, vbi corpus beatiſſimi Martyris creditur aſſeruari (licet Ratiſponenſes contendant in ſuam ciuitatem dono Franciæ Regum tranſlatum, hodie in ſancti Emmerani nobili monaſterio haberi) Hilduinus inquam ad Ludouicum Pium Imp. Caroli Magni filium ſcribens, teſtatur horum librorum ſcriptorem genere nobiliſſimum, & Philoſophiæ magiſterio inſignem, Athenis claruiſſe: ac probat ex Apoſtolicis Actis, & Ariſtarchi Greci chronographi Epiſt. ad Oneſiphorum primicerium, de ſitu Athenarum; à quo dicit narrari *ortum proſapiæ & doctrinam eius, atque conuerſationis ordinem, ſeu ætatis tempus, nec non & ordinationem ipſius, & prædicationem, ſubrogationem etiam Epiſcopi in locum ſuum, & aduentum illius Romam*. Ibi inter cetera de his libris ita ſcribit: *Ceterùm de notitiâ librorum eius, quos patrio ſermone conſcripſit, & quibus petentibus illos compoſuit, lectio nobis per Dei gratiam, & veſtram*

ſtram ordinationem, cuius diſpenſatione inter-pretatos ſcrinia noſtra petentibus reſerant, ſatisfacit. Authenticos autem eoſdem libros Græcâ linguâ conſcriptos, quando Oeconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & ceteri miſſi Michaëlis, legatione publicâ ad veſtram gloriam Compendio functi ſunt, in ipsâ vigiliâ ſolemnitatis S. Dionyſij, pro munere magno ſuſcepimus. Quod donum deuotioni noſtræ, ac ſi cælitùs allatum, adeò diuina eſt gratia proſecuta, vt in eadem nocte decem & nouem nominatiſſimas virtutes in ægrotorum ſanatione variarum infirmitatum, ex notiſſimis, & vicinitati noſtræ perſonis contiguis, ad laudem & gloriam ſui nominis, orationibus & meritis excellentiſſimi ſui martyris, CHRISTVS *Dominus ſit operari dignatus.* Poſt hæc Hilduinus Bedæ & Gregorij Turonenſis de hoc Dionyſio noſtro lapſum oſtendit; & iis reſpondet, qui Bedæ ac Gregorij auctoritate conati fuerant iſtorum librorum alium Dionyſium Corinthium facere auctorem. Denique idem Hilduinus in paſſione B. Dionyſij Areopagitæ, quam ex Græcis ſe collegiſſe profitetur, ponit ſummam eorum, quæ tractantur in libris quos hodie habemus, & quo habentur editi ordine.

Hincmarus Epiſcopus Rhemenſis, Hilduini diſcipulus, Carolo Caluo Imperatori

ſcri-

ſcribens, probat ea quæ Hilduinus ex Græcis ſcriptoribus tradiderat, teſtimonio B. Sanctini, qui primus Carnutenſium, & poſtea Meldenſium Epiſcopus, & Dionyſij Areopagitæ diſcipulus fuit, à quo eius acta atque martyrium, ex vetuſſimis membranis ſe Hincmarus ait deſcripſiſſe, & exemplar Carolo Caluo tranſmittere: *Vt ſi quæ ſunt* (ait) *eorum reliquiæ, qui negabant Dominum & Patrem noſtrum, Patronum veſtrum Dionyſium, eſſe Areopagitam, à B. Paulo Apoſtolo baptizatum, & Athenienſium ordinatum Epiſcopum, & in Gallias à B. Clemente directum, ex his quæ Græca teſtificatio, & ſanctæ ſedis Romanæ atteſtatio, & Gallicana intimat conteſtatio, ratum, & in hac causâ quod longè ante nos dictum eſt recognoſcant: quia veritas ſæpiùs exagitata, magis ſplendeſcit in lucem.*] Tribus argumentis probat, quibus & nos vſi, & vtimur; *Græcorum teſtificatione*, nempe legatorum Michaëlis Imperatoris, quibus addidi decurias aliquot Patrum. II. *Sanctæ Romanæ ſedis atteſtatione*, nempe per Anaſtaſium Bibliothecarium, de quo ſtatim; quibus addo clara teſtimonia Gregorij Magni, Martini 1. Hadriani 1. & Nicolai 1. & Agathonis. III. *Gallicanâ conteſtatione*, nempe Hilduini, &, de quâ poſtea, Ludouici Imperatoris. Beati Sanctini de aduentu B. Dio-

B. Dionyſij noſtri in Gallias verba fuerunt: *S. Dionyſius Areopagites egregiâ B. Pauli Apoſtoli prædicatione, fidei veritate illuminatus,*&c.*per reuelationem ordinatâ ſibi commiſſâ Eccleſiâ Romam venit,* &c. *& à B. Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore, amabiliter & honorabiliter ſuſceptus, poſt aliquod ſpatium temporis cum aliis ad eroganda diuini verbi ſemina, in Gallias eſt directus, qui prædicando, & ſermonem confirmando ſequentibus ſignis, Pariſios ducente Domino peruenit.* vbi & martyrium perpeſſus. ideò (quod notauit Hilduinus) apud Græcos interrupta aliquandiu eius memoria fuit.

Anaſtaſius Bibliothecarius Romanę ſedis, cuius Hiſtoriam noſter Ioãnes Buſæus Moguntiæ curauit imprimi, ad eumdem Carolum Caluum Epiſtolam ſcripſit, contra eos qui aſſerebant B. Dionyſium, primum Pariſiorum Epiſcopum, non eſſe Areopagitam: & contendit, fretus Græcorum codicum, & Latinorum auctoritate, eumdem eſſe, & Græco ſermone celſa ſua ſcripta contexuiſſe: quæ ſcripta (ſodes) niſi hæc ipſa, quæ ab Erigenâ conuerſa in Latinum iubente Ludouico, & à ſe correcta Anaſtaſius Ludouici filio Carolo, cum paſſione B. Dionyſij à ſe ex Methodio conuersâ, dedicauit? de quibus videlicet, in aliâ ad eumdem Carolum

rolum Epiſtolâ ſic ſcripſit: *Notãdum eſt, quòd licet tantæ gloriæ, tantæq́ ſcientiæ, ſiue antiquitatis iſte S. Dionyſius fuerit, numquam tamen aliqua opuſcula eum edidiſſe, niſi fallor, quæcumque Orthodoxorum ſcripta traditio prodit, priusquam Romani Pontifices, Gregorius, Martinus & Agatho, dictorum eius in conſcriptis ſuis mentionem fecerunt.* & mox: *Vnde ego veram eſſe Græcorum opinionem coniicio, perhibentium libros eius à prioribus hæreticis occultatos, donec longo pòſt tempore, ex opuſculis eius, ſolus codex, qui nunc habetur, eſt Romæ repertus: ceteríſque nondum inuentis in Græciam aſportatus.*] Sic ille: ſed docui quibuſdam Græcis, etiã ante D. Gregorium Papam hæc Areopagitica opera fuiſſe cognita: illud verum eſt, poſt Gregorium communi conſenſu recepta, donec iſti terræ filij, & cæleſtium perduelles, antiquam illam anonymorum querelam tumidâ & graui, ſed ingratâ & inutili coaxatione, in limo lacuſtri renouarunt.

Hugo de ſancto Victore, Canonicus regularis, ſui temporis tam clarum lumen, vt alter Auguſtinus fuerit vocatus; primus Latinorum auſus fuit explicationem Cæleſtis hierarchiæ magni Areopagitæ, vſus verſione Ioannis Scoti, & eam decem libris comprehenſam dicauit Ludouico Francorũ

H Regi

Regi filio Ludouici Groſſi; & in Prolegomenων capite quarto cauſã reddit, *cur Theologus & narrator hierarchiarum & poteſtatum ſacrarum Dionyſius* (ſic eum vocat) opus illud Cęleſtis hierarchiæ ſibi cenſuerit componendum. Claudat agmen Patrum Hugo, nam ij, quos ſubdam, à diſputandi accommodatiore ſcholis ratione, *Scholaſtici* ſunt vocati.

CAPVT XXX.

Teſtimonia Scholaſticorum.

PEtrus Lombardus, qui vulgò Magiſter ſententiarum vocatur, in 2. libro, & eum ſecuti Scholaſtici, pro indubitatis Areopagitæ operibus habuerunt; & ideò dicta eius de Hierarchiis cęleſtibus, & de Diuinis proprietatibus, & alia, pro ratis & ſummoperè venerãdis ſemper laudarunt: nec, præter Thomam de Vio, ipſorum legi vllum, qui de opuſculorum iſtorum auctore vel leuiter dubitarit. Patet eorum conſenſus (quem communem omnium vocat Dionyſius Carthuſianus præfatione in noſtrũ) ex eo quòd Alexander de Ales in p. 2. à quæſt. 36. Albertus Magnus in 2. ſent. diſt. 9. & 10. B. Thomas in 1. pag. q. 108. & paſſim, B. Bonauentura in d. diſt. 9. & 10. Durandus, Scotus, Richard.

Richard. Gabriel, & alij ibidem, ſine vllo addito, per antonomaſiam, ſemper Dionyſium vocarunt: neque ſic vocaturi, neque tanti facturi, ſi pro incerto, dubio, vel ſuppoſititio habuiſſent. Eàdem fiduciâ & reuerentiâ S. Bonauentura, eius imitatione, & veſtigiis hærens, eruditum librum de Eccleſiaſticâ hierarchiâ compoſuit, & S. Thomas edidit commentaria in lib. de Diuinis nominibus; vt etiam in Hierarchiam Angelicam Robertus Groſſeteſtẽ Linconiẽſis Epiſcopus. Pro Areopagiticis etiam habuit Alfonſus de Madrigal Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, Commentariis in Ioſue cap. 10. q. 88. Scio te, Scaliger, Scholaſticos omnes pro laruis & bardis habere, & ne nomẽ quidem ferre. Sed in hoc quoque video parenti tuo Iulio, viro doctiſſimo, & melioris quàm tu (da veniam veritati) iudicij, ſolidioris etiam ingenij, te diſſimillimum. Nam ille, quos dum Franciſcanus eſſet, eum tu legiſſe & didiciſſe (in eius vitâ) fateris, ſemper maximi fecit, & ſe illorum (quos identidem iocosè ſuos Barbaros vocat) nudam & incultam ſapientiam præferre omni comptiori litteraturæ, in Exercitat. de ſubtilitate contra Cardanum, ſeriò affirmauit. Tu fruere tuo ſupercilio, & quate, numquam cælum vel ſolum concuſſurus: ſequor hac in parte iudicium Patris

tui,& gratulor mihi, me Concilia,Patres, & Scholaſticos omnes,vno excepto,hiſce Vindiciis fauentes habere diribitores.

CAPVT XXXI.

Pro Dionyſio alij ſcriptores per ſaturam citati.

QVod genus ſcriptorum adhuc poſtulas proferri? vis linguæ Græcæ peritiſſimos recentiores? laudaui tibi è tuâ Galliâ Billium Prunæum & Guilhel. Budæum. laudaui ex Græciâ Cardinalem Beſſarionem; ex Italiâ, Marſilium Ficinum. præponderant Theodoro Gazæ,etſi addas illi fumigantem titionem Theodorum túum Bezam Vezelium.

Vis eos,qui Dionyſij noſtri opera ex Græco in Latinum ſermonem verterunt? præter antiquiores illos Ioannem Erigenam Scotum & Anaſtaſium Bibliothecarium, habes Ioannem Sarracenum,Ambroſium Camaldulenſem , & Benedictum Perionium. Aut vis potiùs eos, qui Commentariis illuſtrarunt? nominaui Græcos, Dionyſium Alexandrinum,Maximum martyrem,& Georgium Pachymeren philoſophum; Latinos autem, Hugonem Victorinum, Thomam Aquinatem Angelicum Doctorem, Alber-

tum

tum Magnum, ſubtilem Linconienſem, & polygraphum Dionyſium Richelium.

Vis hiſtoriæ conditores? nominaui Nicephorum, Glycam, Suidam, Euthymium,& alios: addo Latinos, D. Antoninum, Philippum Bergomatem, Raphaëlem Volaterranum, Gilb. Genebrardum, Guil Eiſingrinium, Cæſarem Baronium Cardinalem, Lilium Giraldum,& tui laudatorem Arnoldum Pontacum Epiſc. Vaſatenſem.

Vis controuerſiarum ſcriptores? ſunt plurimi, quotquot Dionyſij noſtri meminerunt. Nunc paucos accipe, ſed qui ex profeſſo id docent, Iacob. Fabrum Stapulenſem in Præfat. Dionyſij, Matthæum Galenum Belgam in Areopagitica, Guilh. Eiſingrinium Centenar. 1. pag. 6. d. 4. & quem dixi Baronium annali 2. Alanum Copũ Dial. 2. cap. 5. vbi nominatim Vallam, Eraſmum,& Magdeburgicos refellit, & Sixtũ Senenſem lib. 2. Bibliothec. qui Caietanum reprehẽdit.

Vis denique Ieſuitas? clames licet cum tuo Ariſtophane δότε μοι λεκάνην, vt bilem quam mouero euomas; accipe tamen, teſtimonium nos, vt in ceteris, hac quoque in re, concordi animo, Romanæ cathedræ ſententiam ſequi. Docuit contra Magdeburgicos ſcribens Fran. Turrianus; docuit initio Catechiſmi in Patrum encomiis Petrus Ca-

niſius, docuit contra Wittakerum Guilhel. Durȩus ratione 6. docuit accuratè Cardinalis Bellarminus contra Caluinum & Heshuſium tom. 1. lib. 2. de Monachis cap. 1. docuit Petrus de Ribadeneyra in Flor. Sanctorum tomo 2. vitâ B. Dionyſij: docuit (vt audio, nam librum necdum vidi) contra Pleſſyum noſter Fronto Ducȩus; cui tu non denegabis opinor ſaliuam aut guſtum, in Græcorum Patrum ſcriptis dignoſcendis: docuit etiam Ioannes Lorinus Commentar. in Act. Apoſtolorum cap 17. Docueram & ego; ſed argumentis meis, nihil niſi calumniam de ſolo Maximo, & obſcœniſſima probra repēdiſti.

CAPVT XXXII.

Idem confirmatur auctoritate Regiâ, & miraculis.

QVanta Caluiniſtarum, & quàm furioſa contra primos Gallicanæ Eccleſiæ fundatores veſania fuerit graſſata; docet impietas illorum in ſuæ gentis Apoſtolos, ſanctum Irenæum Lugdunenſem, S. Hilarium Pictonenſem, & S. Martinum Turonenſem Epiſcopum, & his omnibus priorem Dionyſium Areopagitam. Sacra trium illorum oſſa, thecis pretioſis erepta, per cœnũ tracta, flammis gementibus abſumpſerunt; & quod ſuper-

ſupererat cineris, in profluentes vndas Rhodani ac Ligeris diſperſerunt. Animus erat idem reuerentiæ exhibere ſacratis reliquiis B. Dionyſij, Carolo nono regnante: ſed Ludouicus Borbonius Princeps Condæus, qui Dionyſij fanum occuparat, non tam religione reliquiarum, quàm maiorum ſuorum Regum, quorum illîc viſuntur magnifica mauſolæa, vim omnem & direptionem Caluiniſtarum prurientium inhibuit. Idem ſuperioribus annis Henricus III. Valeſius, & Henricus IIII. Borbonius, præſtiterunt. Semper enim Galliæ Regibus honoris Dionyſiani præcipua cura fuit. Tres eorum ſtirpes percurre. Merouingiorum vnus Dagobertus, pietate in B. Dionyſiũ clarus, exædificato magnifico monaſterio, & dotato ampliſſimis prædiis; beneficentiâ tamen Martyris illuſtrior ac felicior à terreno regno in cæleſte tranſlatus, vt memorat Ludouicus Pius Imp. Epiſt. ad Hilduinum, quâ verbis efficaciſſimis deuotionem ac venerationem ſanctiſſimi Areopagitæ, ſucceſſoribus ſuis Regibus, ſuo ac maiorum exemplo commendat, hiſce verbis; *Quantum muneris atque præſidij non modò nobis, ac prædeceſſoribus ſeu progenitoribus noſtris, verumetiam totius imperij noſtri populis, per Beatiſſimum Dionyſium ſæpenumerò, immò continuè in magnis*

 gratia-

gratiarum vbertatibus contulerit; cunctæ per tranſacta retrò tempora Gallicæ generationes ſenſerunt, quæ eius inſigni Apoſtolatu fidei rudimenta ſumpſerunt. Prædeceſſores autem noſtri gloriam huius eximij teſtis, & amici Dei, non inaniter coluerunt. Qui dum eius ſacras exuuias in terris ob honorem & amorem Dei, Domini noſtri IESV CHRISTI *opibus, quibus poterant, honorauerunt, per eius preces digniſſimas, honoris priuilegio potiri, & in terrenis & cæleſtibus meruerunt: vt videlicet vnus ex priſcis Francorum regibus Dagobertus, qui eumdem pretioſiſſimum* CHRISTI *martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali eſt vitâ ſublimatus, & per eius adiutorium, ſicut diuina ac celebris oſtenſio perhibet, à pœnis eſt liberatus, inq; vitâ perenni deſiderabiliter conſtitutus.* Vide quàm contrarij ſint Caluiniani ſuis optimis Regibus. Reges beati Martyris reliquias ſingulari munificentiâ & honoribus proſequuntur: Caluiniſtæ nec aſini ſepulturâ dignantur, & quia non potuerunt comburere, & diſpergere, iram in libros eius verterunt. Teſtatur Ludouicus Imp. regnum Franciæ ſtetiſſe ac floruiſſe B. Dionyſij precibus: agiomachi iſti omnes Sanctorum preces irrident. Si præteritum tempus memoriâ reuoluas, inuenies ex quo aurei crucifixi

cifixi brachium ſpecie mutui ex eius fano ablatum, diras hæreſes ex Lemano, velut ex orco, emergẽtes Franciam affligere cœpiſſe, & ad extremam fermè perniciem perduxiſſe. Pergit deinde Pius Imp. Carolouingorum religionem commemorare, ſic ſcribens; *Progenitores quoque noſtri mellifluum nomen Domini Dionyſij (ſic enim verbis ac ſcriptis ſuis eum appellare conſueuerũt) non incongruè piâ dilectione, & dilectiſſimâ pietate amplexi ſunt.* Et ſubdit Carolum Martellum proauum ſuum precibus Beati Dionyſij ad apicem Principatus euectum; Pipinum verò ad regni Francorũ perueniſſe ſolium, & id Carolo Magno filio ſuo relinquere meruiſſe. *Sed & nos* (inquit) *multis ac frequentibus largitionibus beneficia eius ſumus experti, præcipuè tamen in humanæ varietatis euentu: quo Dei, vt ſemper fatendum eſt, iuſto iudicio, in virgâ eruditionis ſuæ viſitati, ac baculo ſpecioſæ miſericordiæ eius, ante præſcriptum altare, per merita atque ſolatium Domini ac piiſſimi noſtri Patris Dionyſij virtute diuinâ reërecti ac reſtituti ſumus, cingulumq́ militare iudicio atque auctoritate Epiſcopali reſumpſimus, & vſque ad præſens tempus ipſius gratioſo adiutorio ſuſtentamur.* Cupiebat animi grati indicium aliquod prodere, præoccuparant cetera maiores eius: ſuggeſſit illi Deus præ-

 ſtantius

ſtantius fabricis & auro trophęum S.Dionyſio Martyri poſſe exſtrui, veriſſimè futurũ

——*monumentum ære perennius,*
Regalique ſitu pyramidum altius;
Quod non imber edax, nõ aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum,

monumentum inquam litterarium. Idcircò enim Ludouicus Hilduino Abbati iuſſit, vt vitam Areopagitæ Dionyſij conſcriberet, & omnia eius opuſcula, ex Græco in Latinum ſermonem ſedulò conuerſa, in lucem emitteret. Nam Ludouicus opuſculorum exſertis verbis meminit, inquiens: *Monere te volumus, vt quicquid de eius notitiâ ex Græcorum hiſtoriis per interpretationem ſumptum, vel quod ex libris ab eo* (Dionyſio) *patrio ſermone conſcriptis, & auctoritatis noſtræ iuſſione, ac tuo ſagaci ſtudio, interpretumq́ue ſudore, in noſtram linguam explicatis, huic negotio inſeri fuerit congruum, quódque etiam in Latinis codicibus iam inde habes inuentum,* &c. Receperat Ludouicus Imperator Occidẽtis à Michaële Imperatore Orientis Gręca Dionyſij Areopagitæ opera: ille vt Dionyſij noſtri receperat, ille vt talia & germana miſerat. Nec credendum duos Imperatores hoc temerè crediſiſſe, vel inuicem ludere voluiſſe; ſed maturè, doctiſſimorum æui ſui viro-

virorum habitâ diſquiſitione, in eam ſententiam veniſſe. Sane Michaël idcircò cum legatis ſuis miſit Conſtantinum œconomum & philoſophum, qui contradicentes poſſet arguere. Occidens paucos tum habebat Græci ſermonis peritos: idcircò Ludouicus duos adhibuit, qui tum in Franciâ florebant, Ioannem Scotum, & Hilduinum. Sic etiam Ludouici, poſt fratres, ſucceſſor Carolus Caluus, Hincmari & Anaſtaſij Bibliothecarij ſententiam fuit ſecutus, Quid aliud faciendum his Regibus in huiuſmodi negotio fuit? expectandum videlicet dum Nouioduni ſtigmata inurerentur, aut Candidæ faculis cor Bezanum torreretur, aut Ioſephus Scaliger approbator naſceretur. Sed vates nulli vos futuros prædixerant; & diſſenſuros, non Dodonides columbæ, non mugitus antri Trophonij, non veſanæ Delphicæ ventriloquæ. Francogallis, de Gallorum Apoſtolo, Regum ſuorum & Epiſcoporum teſtimonia exceptione maiora ſunt. Dubitantij iſti Caluiniſtici dubitent, quamdiu nihil credunt. Catholici nouerunt recenti memoriâ in Martyris baſilicâ ad fidei Catholicæ gremium fortiſſimum Regem rediiſſe. cuius beneficio? nónne Dei Optimi Maximi, quem preces & merita Sancti Dionyſij flexerunt; cuius ille cænobium, templum,

plum,reliquias,ne violarentur, conſeruarat? Hic in viam reduxit, idem à loco ſepulcri ſui ad martyrij locum, & ſedem epiſcopatus ſui, Lutetiam perduxit. Quid æquius, melius, decentius Regiæ Maieſtati, quàm ſuos imitari maiores, Ludouicos, Henricos, Carolos;quorum omnium regia in B.Dionyſio colendo conſtantia meritò celebratur. Nec enim Capeti progenies in hac pietatis æmulatione Carolingis vel Merouingis fuit inferior. Illi reliquias honorarũt,& libros auctori ſuo aſſeruerunt. Vtrumq; faciant poſteri, & quem in bellis Patronum inuocāt, in muſæis & mentibus Catholicorum florere ac viuere decernant. Non minoris facienda ſunt ingenij ſacri monumenta, quàm ſacra corporis oſſuaria. Hæ ſunt reliquiæ exuuiarum reſurrecturarum; illa animi, qui nec interiit, nec potuit interire.

Non defuerunt iſtis diuini ingenij ſacris reliquiis ſua miracula. Nam quo die libri ad S.Dionyſij cænobium fuerunt allati, quò Ludouicus Pius Hilduino miſerat aſſeruandos, ſcribit ipſe Hilduinus teſtis oculatus in Epiſt.ad eumdẽ Ludouicum; *Quod donum*, (nempe ſcripta B.Dionyſij) *deuotioni noſtræ ac ſi cælitus allatum*, &c. quæ habes ſuperiùs citata initio cap. 29. Quæ ſanè eſt comprobatio clariſſima, & quam, niſi veriſ-

ſima

ſima fuiſſet, numquam Hilduinus Abbas, tam affirmanter ad Imperatorem perſcripſiſſet, quo tempore poterat ab æmulis, qui fidem his libris abrogatum ibant, impoſturæ conuinci, ac damnari. Meminit eorumdem miraculorum Dionyſius Carthuſianus Præfatione in Dionyſium, ſed memoriæ lapſu, pro nouemdecim, dicit ſeptemdecim infirmos curatos; *inter quos erant*, ait, *cæci, ſurdi, paralytici*. Hanc Imperatorum Regumque probationem diuino fultam miraculo, vt præcipuam, vltimo loco poſui. Mihi maxima eſt, quia Catholicus ſum: tibi (ſat ſcio) nulla videbitur Ioſephe; quia cùm miracula vobis deſint, ex iis petitas probationes conſpuere conſueuiſtis, & ſubſannare, ſi ſpectes animam, Sardonio riſu; ſi vultum, fœdo, qualis Mineruæ tibias inflantis fuit.

CAPVT XXXIII.

Recollectio auctoritatum, ſingulis operibus B. Dionyſij accommodata.

QVia controuerſia iſta, quæ mihi cum Ioſepho Scaligero eſt, ab auctoritate & antiquâ præſcriptione potiſſimùm pendet; viſum in libri calce ſuffragia per recapitulationem recolligere, vt æqui Iudices habeant vno intuitu, quod illos ad iuſtè *Vindicias*,

cias, addicendas , vel abiudicandas queat permouere.

Pro Scaligero (qui ſe primum putat dubitaſſe) fuerunt olim quidam Græci, ſed anonymi,incertum an Catholici, an hæretici. In Franciâ quoque nonnulli, regnantibus Ludouico Pio & Carolo Caluo, ſed & ipſi quoque anonymi. Auorum noſtrorum memoriâ ſepultum errorem effoderunt, & pro nouo venditarunt Theodorus Gaza & Laurentius Valla Grammatici, Deſiderius Eraſmus incertæ fidei, Caietanus Catholicus, ſed Eraſmo nimis credulus, Lutherus hæreſiarcha cum ſuis, Caluinus alter hæreſiarcha cum ſuis, & his annis Ioſephus Scaliger, & Deſid. Heraldus. Rarum manipulum cernitis, & rorariorum.

Stat ex aliâ parte denſa & inuicta planè legio, robur triariorum, ex Aſiâ, Africâ, Europâ euocatorum : Concilia vniuerſalia, Pontifices Romani, Patriarchæ, Epiſcopi, Doctores Eccleſiæ, Theologi, Hiſtorici, Philoſophi, omnes in terris olim celebres, nunc in cælis multi glorioſi.

Horum, nonnulli omnes quos habemus Dionyſij libros, alij quoſdam vt germanos B. Dionyſij Areopagitæ receperunt.

Omnes quidē libros receperunt, quotquot in eos Scholia ediderunt, vt Maximus Martyr &

tyr & Pachymeres Græci; vel Latio donarunt, vt Scotus, Hilduinus, Anaſtaſius Bibliothecarius,& alij: vel eorum Pinacas contexuerũt, vt Ioannes Sycopolitanus, Suidas, Simeon Metaphraſtes, Nicephorus, & Hilduinus: vel qui ex profeſſo affirmarunt eſſe Dionyſij Areopagitæ, vt Theodorus Presbyter, & iidem Anaſtaſius ac Hilduinus, Guilhel. Budæus, Matthæus Galenus, Alanus Copus, Cardinalis Baronius, & noſter Cardinal. Bellarminus, quibus addere licet Ieremiam Conſtantinopolitanum, & alios complures: vel, qui ex opuſculis hiſce promiſcuè teſtimonia deſumentes, Theologica axiomata inde comprobarunt, vt cum Magiſtro ſentent. Sancti Bonauentura & Thomas, & reliqui Scholaſtici omnes. Item qui ſimpliciter ſcriptorum Areopagitæ meminerunt, vel ex incertis locis fragmenta quædam collegerunt, vt D. Cyrillus cap. 13. Liberatus cap. 28. S. Sanctinus & Hincmarus cap. 29. Anaſtaſius Nyſſenus cap. 14. Antonius Meliſſa cap. 16. Theodorus Prodromus cap. 20. Cardinalis Beſſarion cap. 23. & Synodus Ferrarienſis Generalis VIII. cap. 25.

Certa verò & definita exſtantium libellorum loca produxerunt plurimi. exempli gratiâ: DE CÆLESTI HIERARCHIA, B. Igna-

B. Ignatius Martyr.cap.10. S.Hieronymus cap.11. S. Gregorius Nazianzenus cap. 11. S.Chryſoſtomus cap.11. S. Dionyſius Alexandrinus cap.12. S.Athanaſius Alexandrinus cap. 14. Origenes Adamantius cap.12. S. Michaël Syngelus cap. 19. S. Ioannes Damaſcenus cap. 19. Georgius Patricius cap. 21. Euthymius Zigabenus cap. 22. S.Gregorius Magnus cap.26. Hadrianus 1. Papa cap. 27. Hugo de ſancto Victore cap.29. & Robertus Epiſcopus Linconienſis cap.30.

De Ecclesiastica hierarchia. Anaſtaſius Nicenus cap. 14. Elias Cretēſis ca.17. S.Michaël Syngelus cap.19. S.Ioan. Damaſcenus cap. 19. Georgius Patricius cap. 21. Euthymius Zigabenus cap. 22. Synodus Nicena 1. cap. 24. Synodus Nicena ſecunda cap. 24. Cap. Omnes diſt.38. ex Decreto Gratiani cap.24. S. Bonauentura cap. 30.

Ex lib. De Divinis nominibvs. S. Ignatius Martyr cap. 10. S. Maximus Martyr cap.13. S.Anaſtaſius Sinaïta.cap.14. S.Andreas Cretēſis cap.17. Glycas cap.18. Iulianus Epiſcopus Hieroſolymit. cap. 18. Euthymius hiſtoriographus cap.18. S. Ioānes Damaſcenus cap 18. & 19. S. Simeon Metaphraſtes, cap.20. Nicephorus Calliſtus

ſtus cap. 18. & 23. Epiphanius preſb. cap. 18. S. Michaël Syngelus cap. 18. & 19. Græci in quodã de Deiparâ Cantico cap. 18. Georgius Patricius cap. 21. Euthymius Zigabenus cap. 22. Synodus Sexta generalis cap. 24. S. Papa Martinus I. cap. 26. Agatho Papa cap. 27. D. Thomas de Aquino cap. 30.

Ex libro de MYSTICA THEOLOGIA, Georgius Patricius cap. 21. & Euthymius Monachus ille Zigabenus cap. 22.

EPISTOLARVM OMNIVM meminerunt, qui omnia recenſent opera; quarumdam verò ſigillatim ac ſpeciatim ſequentes hoc pacto:

EPISTOLÆ QVARTÆ ad Caium Therapeutam, S. Sophronius Epiſcopus Hieroſolymitanus cap. 15. S. Maximus cap. 13. & 22. S. Michaël Syngelus cap. 19. S. Ioannes Damaſcenus cap. 22. Euthymius Zigabenus cap. 22. Synodus Lateranenſis ſub Martino I. cap. 25. S Martinus Papa I. cap. 26. Sergius Tempſanéſis cap. 16. Deuſdedit Caralitanus cap. 28. hi omnes Catholici. Ex Monothelitis verò quinque habes cap. 15. Sergium, Cyrum, Pyrrhum, Macarium Patriarchas, & Themiſtium philoſophum.

EPISTOLÆ AD Demophilum Therapeutam, Nicolaus I. Papa cap. 27.

Epistolæ ad S.Ioannem Euangeliſtam, Hadrianus I. Papa, cap. 27. Satiſne multi & probi?

Capvt xxxiiii.

Epilogus huius actionis ſiue diſputationis.

HIs copiis fretus in aciem prodij: hac nube teſtium obumbratus, Salmonei fulmina, aut Claudiana tonitrua non formido. Teſtes produxi, qui multorum ſæculorum, & totius orbis Chriſtiani, prudentiſſimi, ſanctiſſimi, ſapientiſſimi fuerunt: multi in Conciliis Oecumenicis Spiritu ſancto inſpirante locuti: multi Beatorum numero adſcripti, martyriis & miraculis illuſtres. Scilicet vidit apud Cimmerios aduerſarius, quod claro Sole nullus iſtorum potuit. ſolus litteras nouit. ſolus ingenio & iudicio pollet. Monothelitæ illi homines verſutiſſimi & peracuti; & hodierni Græci, Ieremias cum ſuis; ſed hæreticos mitto: Catholici omnes recentiores; mitto recentiores: perſpicaciſſimi mediæ ætatis Doctores; mitto Scholaſticos: veteres Græci & Latini Patres Orthodoxi, pænè quadraginta; mitto Patres iſtos: quinque Pontifices Romani, & quatuor Oecumenica Concilia; &, ne ſæculi magna nomina prætercam, Orientis & Occidentis Impe-

Imperatores duo, & alij Francorum Reges, cenſore Scaligero, veteris Chriſtianiſmi & litterarum ſenſum nullum habuerunt. cenſore Scaligero, ad vnum omnes, ſtipites, bardi, imperiti, & omnes iudicij expertes fuerunt. Tales enim ſunt ei, quicumque ab hoc litterario tyranno audent diſſentire. Hoc vnum aſſerit, hoc ſe tantùm ſcire affirmat. Quod tantùm ſi ſcit, nihil ſcit: quia dumtaxat id ſe ſcire autumat, quod quia nõ eſt ſciri nequit. Ego verò me id ſcire opinor, ſi ſciuit Scaliger hanc tot talium virorum vnanimam tot ſæculis fuiſſe ſententiam, & eâ tamen non mouetur, ſingularem ipſius eſſe ἀναισχυντίαν, ſingularemque ἀναισθησίαν, nec minorem ἀλογίαν: ſi verò id neſciebat, vt vult videri, ab aliis quoque de hoc opere priùs dubitatum, minimæ ipſum in quæſtionibus Theologicis ac Eccleſiaſticis eſſe lectionis; & hæc adyta nec à limine ſalutaſſe tantum angulorum omnium perueſtigatorem. ſi verò ſe tam noui dramatis & tam inſulſæ coniecturæ, iam monitus, vult adhuc auctorem videri; pueriliter committere, quod grauiter

—— caſtigent flagra
Ferulaq; triſtes, ſceptra pædagogorum.

ſi denique non vult moneri, aut reſipiſcere; pergit autem probra in ſanctum Mar-

tyrem, & in ſacrum fidei Quæſitorum tribunal iacere;labem inurere nomini, & conſcientiæ ſuæ.

Cane peius & angue odi (fateor) nouitia iſta cõmenta, & cum Tertulliano cẽſeo eſſe, *inenatabile excuſsis profundum*, *inextricabile inpactis naufragium*, & *irreſpirabile deuoratis hypobrychium*, maximè cùm ſuperbia ſe pertinaciæ coniunxit. Placet mihi ſobriè ſapere, ac regiâ gradientem viâ, terminos intra conſiſtere, quos maiores noſtri Patres Orthodoxi poſuerunt. Audio Iuriſconſultos; *In nouis rebus cõſtituendis euidentem vtilitatem eſſe debere.*&, *minimè mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt.* L. in rebus D. de conſtit. L. minimè D. de legib. Vide Scaliger, ne ſis ex illis, de quibus Caſſiodorus ait: *Sunt nõnulli, qui putant eſſe laudabile; ſi cõtra antiquos ſapiant, & aliquid noui, vnde periti videantur, inueniant.* de Diuin. lection. cap. 11. Proprium id ambitionis & arrogantiæ, quem fontem morbi Celeſtinus 1. Papa nobis indicauit his verbis: *Certum eſt autem, quia tales ſententiarum nouitates de vanæ gloriæ amore deſcendunt, dum ſibi nonnulli volunt acuti perſpicacéſque videri.* Epiſt. 4. ad Conſtantinopol. Confirmat idipſum Abbas Hilduinus contra Dionyſij noſtri calumniatores ita ſcribens: *Se*

petere,

petere, vt in hoc iure contentioſi, ab albugine contractâ arrogantiæ, ex vſurpatâ ſapientiâ, quâ videri ſe ſcioli volunt, oculos tergant, quò perſpicacia perſpicaciter, & fidelia fideliter relegãt. in Epiſt. ad Imp. Ludouicũ Piũ. Id ipſum abs te peterem, Ioſephe, ſi quid voles reſpondere, vt deinceps tam proſtitutis maledictis te abſtineas; quorum modeſti & ſobrij ſunt inopes; diuites verò ſunt, qui in aleâ, popinis, luſtris educati, comeſſabũdi & omni laſciuâ diffluentes, verè καθάρματα κορδακίζοντα ἐν τῇ τοῦ ποτηρίου περιφορᾷ. Sed citiùs forſan à pumice laticem impetrauero. Nam quia ſimile quid poſtularam ab eo, & Dionyſium Martyrem tuebar cõtra eum, ecce vocor ab eo canis, pecus, aſinus, ſcarabeus, poſtrema beſtiarum, & quæ pudor non patitur hîc inſerere alia profligatiſſimæ linguæ ludibria. Quare mihi potiùs aliò preces dirigendæ. Opto Frãcos omnes, vt iudicẽt, vter de Franciâ melius meritus fuerit, an Ioſeph Vaſcoinſuber, qui B. Dionyſiũ conuitiis proſciſſum, ſtellionatûs iudicio poſtulauit, & improlem ac inhonoratum abiecit; an ego Belgiberus, qui eccleſiæ Gallicanæ ſuum Apoſtolum, Pariſienſibus primum Epiſcopum, Belgicæ ſuum Martyrem, Academiæ ſuum Doctorem; Regi regnoq́ue ſuum Patronum & Tutelarem Diuum; ipſi denique Regis, Re-

gni, Academiæ, Eccleſiæ protectori, hierarchico Doctori, Antiſtitum gemmæ, Martyrum flori, Apoſtoli gaudio & coronæ, diuinos ingenij cœleſtis fœtus, dignos patre liberos, aſſerere conatus ſui. Certe, ſi euentus, voluntas quidem prompta non defuit, quam Deo non ingratam fuiſſe, qui honoratur in Sanctis ſuis, puto mihi fas ſperare. Vtinam, quem hîc in terris defendere contendi, obſequium meum in cælis non aſpernetur; mihiq́ue gratiam impetret, vt Syneſium imiter, & præſtanti animo in poſterum conuicianti Scaligero gratias habeam, agamq́ue, propter diuinum Martyrem τὴν ἀτιμίαν ὡς μαρτύριον δεχόμενος. AMEN.

Has Vindicias Areopagiticas S. & Ap. Rom. Eccleſiæ cenſuræ ſubiicio. Valliſoleti, Kal. Auguſti, Anno CIↃ. DCVI.

Martinus Delrio Societatis Ieſu presbyter, & S. Theol. Doctor.

INDEX

INDEX CAPITVM.

CAPVT I.
De controuerſiæ ſtatu. Pag. 7

CAPVT II.
Refellitur primum Scaligeri argumentum, de Monachorum inſtitutore. 10

CAPVT III.
Contra ſecundum Scaligeri argumentum, probatur Monachiſmum priſcæ notum Eccleſiæ fuiſſe. 13

CAPVT IIII.
Vltimum Scaligeri argumentum ex Trullanâ Synodo diſcutitur. 18

CAPVT V.
Aliud argumentum Heraldi ſoluitur. 24

CAPVT VI.
Duo Caietani argumenta ſoluuntur, & vnum Eraſmi. 26

CAPVT VII.
Reſpondetur quorumdam veterum anonymorum obiectionibis. 30

CAPVT VIII.
Quî factum, vt tot annis hæc opera Dionyſij latuerint? 37

CAPVT IX.
Argumentum ex ipſis Dionyſij libris petitum, ad probandum γνήσια eſſe opera. 41

CAPVT X.
Teſtimonia quædam ex Guilh. Budæi autographo. primum ex B. Ignatio Martyre. 46

CAPVT XI.
Budæi teſtimonia ex Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, & Chryſoſtomo. 49

CAPVT XII.

Teſtimonia ex Origine & Dionyſio Alexãdrino. 51

CAPVT XIII.

Ex B. Cyrillo Alexandrino, & Beato Maximo monacho & martyre. 53

CAPVT XIIII.

Teſtimonia duorum Anaſtaſiorum, & cuiuſdam incerti Athanaſij. 55

CAPVT XV.

Sophronij Catholici, Monothelitarum hæreticorum, & Schiſmaticorum Græcorum *teſtimonia.* 64

CAPVT XVI.

Teſtimonia Theodori Presbyteri, Sergij Tempſanenſis, & Antonij Meliſſæ. 68

CAPVT XVII.

Ex Eliâ Cretenſi, & Andreâ Cretenſi, teſtimonia. 71

CAPVT XVIII.

Teſtimonia Iuliani Hieroſolymitani, Epiphanij Presbyteri, Glycæ, & aliorum Græcorum. 72

CAPVT XIX.

B. Michaëlis Syngeli, & B. Ioannis Damaſceni ſententia. 74

CAPVT XX.

Ex Simeone Metaphraſte, & Theodoro Prodromo, teſtimonia. 76

CAPVT XXI.

Ex Suidâ & Ioanne Sycopolitano, & Georgio Patricio. 78

CAPVT XXII.

Ex Euthymio monacho Zigabeno. 79

CAPVT XXIII.

Teſtimonia Nicephori Calliſti, Georgij Pachymerij, & Cardinalis Beſſarionis. 86

CA-

CAPVT XXIIII.
Teſtimonia ex Conciliis Græcorum. 90
CAPVT XXV.
Teſtimonia ex Conciliis Latinorum. 92
CAPVT XXVI.
Teſtimonia Gregorij Magni & Martini I. *Romanorum Pontificum.* 94
CAPVT XXVII.
Teſtimonia Agathonis Papæ, Hadriani I. *& Nicolai primi.* 99
CAPVT XXVIII.
Teſtimonia Liberati Afri, & Deuſdedit Epiſcopi Caralitani. 105
CAPVT XXIX.
Teſtimonia ex Hilduino, Hincmaro, Anaſtaſio Bibliothecario, & Hugone de ſancto Victore. 109
CAPVT XXX.
Teſtimonia Scholaſticorum. 114
CAPVT XXXI.
Pro Dionyſio alij ſcriptores per ſaturam citati. 116
CAPVT XXXII.
Idem cõfirmatur auctoritate Regiâ, & miraculis. 118
CAPVT XXXIII.
Recollectio auctoritatum, ſingulis operibus B. Dionyſij accommodata. 125
CAPVT XXXIIII.
Epilogus huius actionis ſiue diſputationis. 130

CENSVRA.

QVia laudabile ſemper à ſanctis Patribus habitum fuit, eos ab improbis obtrectatorum calumniis vindicare, qui Eccleſiam vitâ & ſcriptis quandoque illuſtrarunt: non exigua laude dignum exiſtimo Martinum Delrio Societ. Ieſu ſacerdotem, & S. Theologiæ Doctorem, quòd Dionyſium Areopagitam ſcriptorem ſanctiſſimum atque clariſſimū, iam aliquamdiu lanienæ Caluiniſticæ & Lutheranæ traditum, eripiat, eumque à calumniis impiorum vindicet. ideoque meritò in magnum Chriſtianæ Reip. bonum eiuſdem Vindicias Areopagiticas in lucem edi poſſe ac debere iudicaui. Actum Antuerpiæ, v. Kal. Iunij. ∞. ɪↄc. vɪɪ.

Laurentius Beyerlinck S. Theol. Licentiatus, Librorumq́ue cenſor.

PRI-

PRIVILEGIVM CÆSAREVM.

RVDOLPHVS Secundus Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, &c. Comes Tirolis, &c. Notum facimus tenore præſentium vniuerſis: Expoſitum nobis, Martinum Delrio Societatis Ieſu presbyterum, multa à multis annis, & olim cùm in Belgio Sereniſſimo Hiſpaniarum Regi Catholico Philippo Secundo à Conſiliis fuit, & poſtea cùm Societati Ieſu aggregatus, variis in Academiis vtilitati publicæ pro virili concionando, docendo, componendo incubuit, in humanioribus artibus, Iuriſprudentia & Theologia laboraſſe, quæ partim edita, partim vt edantur, vel confecta vel affecta habeat, aut ſecundis curis recudi deſideret: Vereri autem, ne quod iam non ſine aliquo nominis ſui & lectorum diſpendio expertus, à quibus minimè expediat, ea typographio ſibi ſuiſque in fraudem exprimantur; ac proinde humiliter rogare, vt Priuilegio ſe noſtro aduerſus eiuſmodi iniuriam ac fraudem muniamus. Nos itaque benignè conſiderantes, quàm vtilem Martinus ipſe Delrio, qui nobis ab inſigni pietate ac doctrina prædicatur, Rei litterariæ publicæ operam nauet, quod in iis quæ iam antè ab ipſo edita ſunt liqueat; omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis ac aliis quamcumque librariam nego-

gotia-

gotiationem exercentibus, ſeriò firmiterque vetamus & inhibemus, ne quiſquam prænarrata opera per viginti annorum ſpatium à prima editionis die computandum intra Sacri Romani Imperij Regnorumque & Dominiorum noſtrorum hæreditariorum fines, ſimili vel alio charactere aut forma ſiue in toto ſiue in parte recudere, vel aliò recudenda mittere, aut alibi etiam impreſſa adducere, vendere, & diſtrahere clàm ſeu palàm contra voluntatem & conſenſum ſupradicti Martini Delrio præſumat. Si quis verò ſecùs faciendo Priuilegium hoc noſtrum Cæſareum negligere vel tranſgredi conatus fuerit, eum non ſolùm prænarratis libris perperàm quippe recuſis & adductis (quos prænominatus Delrio eiuſque Mandatarij vbicumque deprehenſos, vel propria auctoritate vel Magiſtratus illius ope & auxilio ſibi vendicare poterunt) de facto priuandum, ſed & pœna decem Marcharum auri puri fiſco noſtro Cæſareo, fraudis vindici, & ſæpè fato Delrio eiúſve Mandatariorum vſibus ex æquo pendēda decernimus irremiſſibiliter puniendum. Mandamus ergo omnibus ac ſingulis noſtris & ſacri Romani Imperij Regnorumque ac Ditionum noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut dignitatis exiſtant, tam Eccleſiaſticis quàm Sæcularibus, præſertim verò iis qui in Magiſtratu conſtituti vel proprio vel ſuperiorum nomine & loco Ius ac Iuſtitiæ adminiſtrationem exercēt, ne quemquam hoc Priuilegium noſtrum Cæſareum temerè & impunè tranſgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces, ſi quos fortè comperint,

perint,

pereſint, præſcripta pœna puniri aliíſque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipſi eandem mulctam euitare voluerint, harum teſtimonio litterarum manu noſtra ſubſcriptarum ac ſigilli noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in Arce noſtra Regia Pragæ die decima quinta Menſ. Iunij, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Romani vigeſimoſeptimo, Hungarici trigeſimo, & Bohemici itidem vigeſimo ſeptimo, &c.

RVDOLPHVS

Rud. Coraducius, &c.

Mandatum Sacræ Cæſ. Maieſtatis Proprium

Io. Barnitius, &c.

TIbi vni, Ioannes Morete, poteſtatem facio imprimendi *Vindicias Areopagiticas*, iuxta Priuilegium à Magno Cæſare mihi conceſſum.

Martinus Delrio Societatis Ieſu Sacerdos.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII
PRINCIPVM BELGII.

ALBERTVS & ISABELLA Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, &c. Ser^mi Belgarum Principes Priuilegio ſanxêre, nequis *Vindicias Areopagiticas Martini Delrio Societatis* IESV *Sacerdotis & Theologiæ Doctoris*, præter voluntatem Ioannis Moreti Typographi Antuerpienſis intra decennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſas, in has inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur: vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, v. Iulij, M. DC. VII.

Signat.

N. Lombaerts.

BIBLIOTECA ... DERECHO

9